



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 813. Usque Ad Annum 859

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117867**

§. 12. Bernardi Archiepiscopi Viennensis obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66103)

ut hoc Regnum suscipiatis, & secundum Dei Voluntatem illud regatis, monemus, hortamur atque præcipimus.

Sæculum IX.

A.C. 842.

Reges fratres deinde duodecim ex suis viros nominarunt, qui Regnum a Lothario tacite abdicatum in partes dividerent. Inter duodecim arbitros fuit Nithardus, qui illius temporis historiam scripsit. Is Regibus sanguinis propinquitate junctus Angilberti Comitis, deinde Abbatis ad Centulenses seu S. Richarium, & Berthæ, ex Carolo Magno genitæ, filius constanter juveni Regi Carolo adhæserat; sed tandem innumeris turbis, quibus Francia agitabatur, fatigatus ad dictum Monasterium Centulense se recepit, quod post Abbatem numero septimum, Ludovicum nomine, gubernare cœpit. Ecce vero, paucorum dierum Abbas Nithardus fuit, nam cum coactus fuisset contra Normannos arma arripere, in conflictu cecidit.

Sup. Lib. XLIV. §. 53

Chro. Cent. c. 9. &amp; c. 10. to. 4. Spicil. p. 493. 500. 501.

## §. XII.

*Bernardi Archiepiscopi Viennensis obitus.*

Bernardus Archiepiscopus Viennensis Lothario addictus eodem anno 842. e vita excessit. Is nobili genere natus & juvenis a parentibus ad nuptias pro modo compulsum consentiente postea uxore ad Monasterium Ambronia-

Boll. 23. Jan. to. 2. p. 544. Mabill. to. 6. Act. p. 561. Coit. ann. 842. 1.

Bb 2 cense



Sæculum IX. cense in Bugia, a se fundatum, confugit,  
A. C. 842. ubi postquam aliquamdiu Monachus  
 omnibus eximiæ humilitatis exemplum  
 præbens, vixisset, Abbas eligitur. Trien-  
 nio exinde elapso scilicet anno octingen-  
 tesimo decimo eligitur Archiepiscopus  
 Viennensis; quam autem Dignitatem  
 non prius, quam a Summo Pontifice dis-  
 strictum accessisset præceptum, accepta-  
 vit. Hanc Ecclesiam zelo vere Episco-  
 pali annis triginta duobus rexit, atque  
 sub finem vitæ suæ fundavit Monaste-  
 rium Romanense, quo sæpe secedere so-  
 lebat, in eoque locum sepulturæ sibi de-  
 legit. Obiit annos natus sexaginta qua-  
 tuor in Dominica vigesima tertia Janua-  
 rii, qua die in illa Diœcesi inter Sanctos  
 colitur. Successorem habuit Agilma-  
 rum antea S. Claudii Abbatem, qui Se-  
 dem Viennensem annis octodecim te-  
 nuit.

## §. XIII.

*Normanni in Francia.*

Interim Normanni, fratribus totius Re-  
 gni vires bello civili consumentibus,  
 favente occasione usi oras Franciæ, quas  
 Oceanus alluit, infestantes, prædas im-  
 pune agebant. Normanni, id est viri  
 Septentrione advecti, generatim diceban-  
 tur Barbari Gentiles, qui ex Dania, Nor-  
 wegia & vicinis regionibus veniebant.  
 Tunc